



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXVII. Moritur primus è Societate, eius anima inter beatos ab Ignatio  
conspicitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

moderatione regeretur. Concionari per compita, vt vbiicumque se daret occasio; dicendi verò argumenta ex pulchritudine, præmissisque virtutum vitiõrum turpitudine pœnisque legere, & maiori pietatis conatu, quàm eloquẽtiæ tractare. Christianæ fidei capita pueris tradere, & bonis moribus eos informare: quicquid præterea occurrisset iuuandis proximis opportunum, in opus conferre, verum quamcumque aliis impenderent operam, ne obolum quidem in eius mercedem admittere, vna Dei solius cui adlaborassent gloriã abunde contentos; in has leges consensione omnium itum est. Cum autem identidem quæri ex iis solerët, quinam essent; cuius instituti tenerent regulam, quid nominis haberent: Responsonem aliquam præscribendam omnibus decreuerunt, in qua semper eãdem acquiescerent percunctantes: nec tamen ea res consultationi permiffa est: Pridem Ignatius, haud ab se priuatim sed coelitus deliberatam illam animo tenebat, ex quo nempe vt constans fama est, in solitudine Mantefana, de vexillis duobus meditantis, Deus prima ipsi Societatis lineamenta descripserat. Sanxit ergo, auctoresque fuisse vniuersi vt de Societate Iesu se esse dicerent, nec alia vsquam vterentur nomenclatione, vt qui vnus Iesu amore, & gloria impulsus in Societatem vnã diuersi conuenissent. His ritè inter se stabilitis, delectũque vrbium habito in quas operam partirentur, post suauissimos salutationis mutuæ amplexus, Romano itineri Ignatius Faber, & Lainius se dederunt: Xauerius & Bobadilla Bononiam; Ferrariam Rodericius, & Iaius; Pascasius, & Salmeron Senas petierunt; Patavium Codurius, & Hozius.

Cæterum successu admodum diuerso, acceptam quisque obiuit provinciam, quibusdam pati, magis quam agere contigit; pinguior aliorum labor, messem animarum conatibus tulit non imparem. Codurium, quidem & Hozium, vix paucis diebus in nosocomiis & in foris auditos, Episcopi Suffraganeus suspectos habuit, veritũsque ne fucõ sanctitatis, vulpem tegerent fraudulentam, coniecit in compedes: quid iis fuerit animi tam subito in casu nox illa prodidit quam vnã egere in carcere, recitandis psalmis, & sermonibus de Deo totam occuparunt, tam effusis interioribus gaudiis, vt cogereretur optimus Hozius dulcissimo arrisu interdum iis aditum laxare. Vulgato eorum carcere, tam densis de illorum virtute, & innocentia testimoniis obrui Suffraganeus cœpit, vt inde postridie eductos amplissima ornari potestate, quicquid vellent, ac possent in subsidium animarum præstandi. Verũm iis hac vti nondũ licuit, eorum alteri beatam quietem sub ipsis laborum primordiis Deus assignauit. Fuit is Baccalaureus Hozius. Ad populum dixerat paulõ ante in hæc Christi verba. *Vigilate, & orate, quia nescitis diem neque horam*, moxque febri ardente iactatus, moneri interius credidit, concionem illam ad se propriè pertinere. Quare abdens sese in nosocomium, ad mortem parandam curam omnem conuertit, ea tamen animi voluptate ex æternæ vitæ fiducia, vt temporariæ iactura præcoci, nullo modo tangi videretur: felici obitu præreptus illorum sortem adeptus est, quos postremum in vineam conductos, primos ad mercedem patris familiæ acciuit.

XXXVII.

Moritur primus à Societate, eius anima inter beatos ab Ignatio conficitur.

acciuit. Agebat tunc temporis in Monte Cassino Ignatius, & Exercitia Petro Ortizio ( de quo antea dictum ) Caroli quinti Procuratori suggerebat, illic ubi resciuit de Hozij morbo, magnis ad Deum precibus pro illo insti- tit; en autem, vt quondam Patriarcha Magnus Benedictus eodem ex loco scandentem in cœlum Beati Germani animam viderat, sic videt Ignatius Hozium circumfusa luce radiantem, in cœlum ab Angelis deduci. Neque tunc solum ea ipsi obiecta species; aliquanto post dum sacro interest ( quamuis enim Sacerdos, nondum se satis ad operandum sacris paratum pu- tauerat ) cum illa solemnibus confessionis verba pronuntiarentur, & *omnibus sanctis*; videre visus est discedente cœlo, beatum socium in magna Super- rum corona, eodem cum illis splendore, ornatuque fulgentem; ex quo tan- tum illi affluxit dulcedinis, vt per multos dies tenere lacrymas non posset, beata illa socij specie semper oculis obuersante, & vero defuncti cadauer non vana exhibuit animi felicitatis indicia, cum enim esset colore subnigro, orisque conformatione parum grata, morte qua fit inuisum & horridum quicquid ante pulcherrimum fuerat, Angeli speciem induit, vix vt agnos- ceretur à Codurio, qui spectando, flendo, osculando expleri non po- terat.

## XXXVIII.

*Pia opera, & molestia So- ciorum Pa- dua, & Bona- nia.*

Defuncto Hozio, Ferraria Parauium Rodericius venit, solatium & opem Codurio ferens, qui labori solus illic sufficere, nõ valens ita paulò post ægro- tauit, vt Rodericius missionis pondus totum exceperit; huic tamen iuuando, & leuando socio ægrotanti, Deus opportune & commodè prospexit, dittes & nobilis Clericus, quem ab inueterata libidine, Codurius potenter abduxerat, licet multos annos cum amica, effreni amore traduxisset, tu- lissetque etiam ex ea filios; tanti sibi boni auctorem non tulit iacere in no- focomio, sed domum sublato incredibile sollicitudine, restituendum vale- tudini curauit. Sed neque obniti Rodericius valuit primariæ feminae no- lenti omnino illum degere in nosocomio, nam huius liberis duobus om- ni ope cum Rodericius adfuisset; alteri, vt sanctè moreretur; alteri vt san- ctè in Religiosæ familiæ regula viueret, iam orba & vidua, liberorum lo- co alendum illum eo cupidius suscepit, quod filij duo supremis verbis alter moriens, alter valedicens ab ea petiissent vt Rodericium suo loco habe- ret. Priusquam verò Ferraria exiret, ubi cum Iaio, iuuandis animis dabat strenuam operam, aliud expertus fuerat argumentum illustre charitatis, & Dei suorum peculiarem gerentis curam. Assignatum iis erat in nosocomio cum victu cubiculum, victus tamen demenso minimè utebantur, sed corrogato per urbem pane. Concionibus interim illorum, viæ, & compita feruebant, nosocomia verò & alia loca ubi prodesse animis daretur, illorum ministe- riis. Obseruabat hæc diligenter anus nosocomio præfecta, mirabatúrque ho- mines, tantum sibi laboris priuatim assumere, cum iam tantoperè alijs la- borarent, vt autem quid noctu etiam actitarent resciret ( lucernam enim animaduertenter, in eorum cubiculo vigilare ) rimis oculum admouit, vidit- que ab iis post aliquid somni ignem ex silice in lucernam accendi, tum vt erant rigentes frigore, pensum diuini officij, genibus flexis ambos per- soluere,